







of 17. 11. 1766

PRORECTOR  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CHRISTIANVS**  
**VATER**  
 PHIL. ET MED. D. PATHOL.  
 P. P. PHYSICVS PROVINCIALIS SAX.  
 ARCHIATER ANHALTIN. ET ACADEM.  
 NATVR. CVRIOSOR. COLLEGA  
**CIVIBVS ACADEMICIS**

S. P. D.



**C**ORNELIAM, Gracchorum matrem, sua, CHRISTINAM VAL-  
THERIAM nostra aetas tulit, in ornamentisque habuit, quae dignitatem  
sexus sui cum summa maximarum uirtutum amplitudine sustinuit, ac  
nouis laudum, in aeternitate fama superstitum, accessionibus locuple-  
tauit. Tanto reliquis aequalibus, quarum permultas, et praestantissi-  
mas, habuit, antistabat Cornelia, ut suo tempore cum eloquentiae, et pruden-  
tiae, celebritate, perpetuo ad omnem memoriam elogio, summis oratoribus uel  
praesiterit, uel, ut M. Cicero commemorat, par posita fuerit, tum generis an-  
tiquitate, et maiorum suorum gloria, maxime floruerit, ac amplissimum Quiri-  
tum familiis necessitudine innexa, largiorem ornamentorum suorum semen-  
tem fecerit. Par iudicium tulerit de VALTHERIA, qui uel cognouerit ean-  
dem, uel huius consuetudine usus sit, in qua summa oris suauitas, et mira co-  
mitas, inerat, ut sibi conciliaret, qui eam audierant, ac tanta prudentia res su-  
as disponderet, et administraret, ut illam uiam, spirantemque, prudentiae im-  
aginem haud immerito dixeris. Cornelia Romam, terrarum, ac gentium, do-  
minam: CHRISTINA Virembergam, bonarum artium altricem, ac factoris,  
repurgataeque, coelestis doctrinae serbaticem, ortu suo illustrauit. Illa ampli-  
sima Scipionum prognata familia, aeterna nominis memoria elucet: haec ea  
gente ortum duxit, quae multis, et immortalibus meritis, quibus cuncta ma-  
ximae existimationis spatia iam dudum confecit, ultra omnem inuidiosae uetu-  
statis obliuionem euecta, exsplendescit. In haec suscepta est anno 1602. pridie  
nonas aprilis. Patrem habuit AVGVSTINVM STRAVCHVM, Iuricon-  
sultum, et Serenissimo Saxonum Principi in summo Prouocationum senatu a  
consiliis, antecessorem iuris, et senatus ecclesiastici affessorum: postea uero in  
aulam euocatur, atque in numerum, et ordinem, Purpuratorum cooptatur,  
mox ad comitia publica, quae ea tempestate Ratibonae habebantur, cum au-  
ctoritate legatum, cumulatissimis in patriam meritis illustram, iuxta ac immor-  
talem: matrem uero DOROTHEAM SOPHIAM, natalibus LENZIAM, omne  
decus sexus sui cum moribus emendatissimis complexam, FRIDERICI LEN-  
ZI, Comitis Schwarzburgici, familiae Rudelsadinae, Praefidis, et Cancellarii,  
perpetua nominis, et meritorum, amplitudine celeberrimi, unicam filiam.  
Cornelia iam inde a tenera aetate quum eximia indolis, et magnae uirtutis,  
speciem praese ferret, sub auspicio matris coepit, domesticis disciplinis erudiri,  
ea praedita ingenii docilitate, ut facite animo, et memoria, complecteretur, quae  
proponebantur, et a primo aetatis flore potrectas uias ducta, ac illustribus do-  
mesticis exemplis, atque optima consuetudine, excitata, et erecta, amplissimae  
genis expectationem, cum omnibus sexus sui ornamentis, sustinuit, ab amicis  
uero gratiam, ac fauorem, inuilit. Ad diuinarum rerum cognitionem, quam in  
bonis suis postea numerauit, insito quodam mentis impetu ferebatur CHRI-  
STINA, cui natura, quam fautricem habuit, tanto plus quidem animi, et in-  
genii, sed parum roboris, et firmitudinis, corporis, largita erat, et nihil cedebat  
quidem Corneliae indole, ad uirtutem erectae, quae in tenerissima aetate exsplen-  
descebat: feliciore autem educationis sorte illam praestabat, quod Parentes in-  
uentis aetatis primordia ab sacri fontis initiatione mysteriorum capiebant, et,  
salutari Seruatoris auspicio spem, ac fundamentum, sublequentis fortunae con-  
secrabant, eamque postea ad omnes uirtutes, quae sexum elegantiore ornant,  
ueluti manu apprehensam, deducebant. Semel ingressa iter, non subsistebat,  
neque fallente retardabatur uestigio, sed igniculis, in natura abstrusis, et gliscientibus,  
incenta, acris contendebar, et propensionem animi ad sacras disciplinas confes-  
sit, ac mirifice, probabat, et, adolescente supra aetatem iudicio, expectationem  
celeritate arripiendi superabat, atque multis, iisque manifestis, frugis expectan-  
dae documentis conceptam spem confirmabat. Haec tamen laetitia, quam ex  
contentione itineris, laudis, et uirtutis, plenissimi, capiebant parentes, minus  
fuit diuturna. Nam Matre acerba, et immatura morte amissa, uehementer  
afflicta est, et fidam itineris sui, quod nuper susceperat, moderatricem deside-  
rauit; sed mox illi, tristi, et inopinato perculsae fato, comitem sese adiunxit.  
Aua paterna, Diui Aegidii Strauchii, principis sacrorum Dresdensium Antistitis,  
et senatus, qui de iure ecclesiastico responderet, assessoris, coniu uxida, quae  
adhibito in consilium Auo materno, CHRISTINAM Dresenam euocauit, et, sus-  
cepit Matris partibus, eam benigne fouit, aluitque, et, ut plenum gloriae iter,  
in quod semet dederat, perficeret, metamque, ad quam recto cursu contende-  
bat, consequeretur, instigauit, iuxta ac uiam regiam monstrauit.  
Confecit, IV. et X. aetatis anno, cursu, et spatio uirtutis, in quo decurrerat,  
emenso, exhaustorum fructum laborum tulit, iamque cunctis sexus sui orna-  
mentis culta, et perpolitata, omnium oculos in semet conuerit, et amplitudine  
uirtu-



uirtutum, quibus excelebat, magnam sibi existimationem conciliavit. Corneliam, accepimus, cum senarus, cui P. Scipio, pater, interfuerat, in Capitolio coenasset, ac Ioui capitolino sacra fecisset, eodem die Tiberio Graccho desponsam esse, captiue sponsaliorum primordiis a Diis immortalibus, matrimonialis felicitatem federis fauore Deorum augere, non contemnendo uanae illorum religionis instituta, uoluerunt. Felicior fuit CHRISTINA, quae in uera sanctioris doctrinae integritate alta, et educata, ac Deum sponsores, duces affectata, non Gracchum aliquem, nouitate rerum, quas, seditioso raptus ingenio, moliebatur, infamatum, sed GVILELMVM LEYSERVM, Iurisconsultum, et clientelaram Rabensteinii dynastiam, antecessorem iuris, atque collegiorum iuridicorum assessorum, sponsum nacta, matrimoniale cum illo fedus inuit, et, assentientibus necessariis, IX Kal. maias  $\infty$  1024. Faustis auspiciis Gerae in Variscis nuptias celebrauit. Tulit matrimonii fructum Cornelia, et susceptos liberos fouit, ac graecis, latinisque, literis erudit, sparsisque in illorum animos uirtutum feminibus, domesticis excitauit exemplis, et, postis ante oculos gentis suae ornamentis, ad eadem amplificanda inflammauit. Foecunditate sua pariter non caruit matrimonium CHRISTINAE, sed uberrimum illa fructum XII. liberorum, omni felicitatis genere cumulata, cepit, quos sacro ablutos fonte, fouit, liberaliterque habuit, ac diuinis sanctioris religionis mysteriis initiatos, educationi, ac patriae, destinauit, sed consiliis, et instituto suo, fata obliterunt. Nam quinque filii, decora gentis, et fulcimenta, quorum tres Vilhelmi nomine semet ab Augustino, et Abrahamo, distinxerunt, cum tribus filiabus, ante Diuae obitum extincti, familiam labefactarunt: inter quas tamen REGINA SOPHIA Gothofredo Strauffio, Iurisconsulto, posterorum, memoria dignissimo, et in summo quondam Prouocationum senatu Consiliario, ac ordinis sui praefidi, nupserat: sed post non ita multo lento correpta morbo, exspirauit, ac triste Marito, Matricque, desiderium sui reliquit: VILHELMINA AVGVSTINA, IOANNA itemque DOROTHEA, in nuptiae, debitum naturae soluerunt. Florebat Cornelia utriusque sexus liberis, iisque et animum, et oculos, pascebat, sed non, peraeque omnes patriae ornamento, et emolumento, erant, quin eam potius affligebat, et rerum nouarum studio tracti, turbas moliebantur, ac propter tribunitiam potestatem maiora concupiscentes, consilia in perniciem patriae, conuertebant, acque misero demum uitae exitu poenam turbulentissimi tribunatus luebant. Ab his naturae bonitas, ac innata ad res praeclare gerendas indoles, Leyserianos se iunxit, qui cum patriam domi, forsique, consiliis ornarunt, et complexi sunt, tum sacrarum, profanarumque, literarum tutelam, et patrociniū suscepunt, easque, ingrauescente indies barbarie, tuiti sunt, ac eadem, quoad eius fieri potuit, uel profligata, uel penitus extincta, antiqua sede stiterunt; uel aliorum familiis necessitudine iuncti, uirtutum, ac decorum suorum, femina latius sparserunt. Testes cito, diua Matre superflites, et omnibus uirtutum flexus sui ornamentis abundantes, figillatim CHRISTINAM ELISABETHAM, coniugem Diui quondam VOLFFHARDI, Consilarii Regis Pruthenorum, et monasterii Bergensis, iuxta Magdeburgum siti, et propter alias in eodem res gestas, non ignobilis, Praefulus, morum, uitaeque, sanctimonia, et integritate religionis, ab fordibus, et ineptiis repurgatae, immortalis: IOANNAM item CAECILIAM, Friderico Vilhelmo Verbero, serenissimi Principis Schvarzburgici Cancellario Franckenhusano, in matrimonium collocatam: BEATAM porro CHRISTINAM, coniugem widam Jo. Georgii Neumanni, Publ. quondam in hac Academia Theologiae Doctoris, templi academici praepositi, ac senatus ecclesiastici assessoris, scriptis, meritisque, pro puriore Dei coetu nulla seculorum antiquitate reticendum: ac demum AVGVSTINVM LEYSERVM, Doctorem Iuris publ. et in senatu Iuridico assessorum, diuum Patrem, omni uirtutum genere sanctis auspiciis aemulantem: cunctos quidem uiuentes, sed acerbitate doloris, quem ex Matris morte capiunt, affictos, et uehementissime perculos. Cornelia tristi, sed satis suis digno, et inglorio mortis genere filius orbata, nepres, nullas uidit. At CHRISTINA, meliore sorte uisa, VIII. neptem Auia facta est, quibus mirifice saepius delectabatur, et non contemnendos fructus ex tam felicibus surculis, si ad maturitatem suam peruenerint, sibi aliquando spondebat, sed acerba praecoccupata morte, spe sua excidit, atque ex illis hauitum laetitiam tristitia, et luctu, compensauit. Ita quidem florebat CHRISTINA, et tanto felicitatis genere ornata, uehementer laetabatur, Deoque praepotenti, qui res humanas sortitur, et fata dispensat, inserit in coelum manibus, gratias agebat, neque tamen tanta fortunae benignitate, et accessione elata, alios despiciebat, sed fragilitatis humanae memor, aequam, et in omnibus coelestia spectantem, mentem exhibebat. Quo

praemu-



praemunita, et obfirmata animo, acerbissimum, et luctuosissimum, desideratissimi Mariti obitum, in ∞ 13CXIII. incidentem, praesenti, ac constanti, animo tulit, neque tanto oppressa casu, succubuit, sed acris sese erexit, palmam aemulata, quae, quo maiore iniecto pondere obruitur, eo fortius surgit, et elucrat. Orbata marito, ipsa clauum regundae domus firmo capessit animo, et peritum imitata nauclerum est, qui, tranquillo mari, uela suspendit: illa uero eodem a uentis concitato, et procellis exagitato, demittit, prudenterque tempestat, et accipites syrtes, euitat. Cum ceterae matronae suos ornatus, gemmas, torques, pretiosas uestes, aliaque opes, quibus nec CHRISTINA desituebatur, ostentarent: ipsa liberos suos, tam bene, et liberaliter, educatos, cum Cornelia esse suas opes, sua ornamenta, suas delicias, dixit. Quam animi, grauissimis exercitati fati, moderationem, et aequitatem, ac exquisitam in gerendis suis rebus prudentiam, cum MICHAEL VALTHERVS, publ. Theologiae Doctor, et alumnorum EL. Ephorus grauissimus, uir in tantum laudandus, in quantum doctrinae ubertas, et illibata religionis gloria, intelligi possunt, animaduertisset, eam sibi in matrimonium pactus est, et anno ∞ 13CXCI. faustis auspiciis secundas cum CHRISTINA celebrauit nuptias. Sed sequenti anno immatura mors VALTHERI, praeter omnem expectationem, ac opinionem, magno cum salutaris doctrinae detrimento, extincti, conceptam ex hoc matrimonio laetitiam lucu commiscuit, et conturbauit, ac documentum fragilitatis, et conuersionis rerum humanarum, quae nihil diuturnum, nihil stabile, nihil firmum esse, finit, dedit. Priuata rursus noua funeris acerbitate marito, quod reliquum uitae fuit, quieti, et otio honesto, destinauit, et uacatione aetatis suae usa, aegrotum domesticis curis, aliisque anxietatibus animum, liberauit, ac, de specis rebus humanis, sibi uixit, studio tamen erogandi quotidie in pauperes opes, quo iam inde a pueritia flagrabat, retento, et constanti seruato. Cornelia, ualido corporis robore, et bona ualetudine praedita, paucis tentata morbis est, ingruentes uero appropinquantis senectutis bona uictus ratione euasit, et si quid timentur mali, inedia profligauit, et, damnata cibi, potusque, ingluuie, naturae bonitati, uiribusque medendi partes reliquit. CHRISTINA, ut obfirmato, ac praesenti erat animo, ita nacta corpus est non deforme illud quidem, et quod innatam membrorum debilitatem proderet, et testaretur, sed paruum, ac tenue, laterum tamen, et artuum firmitudine ualidum, et ad usus agendi habilitate idoneum: sed calamitates, et crebrae lugendi acerbitates, quibus saepius Nostram fortunae, et temporum, rationes implicauerunt, ac ingrauescens senectus, collatis in unum incommodis, robur, quamlibet solidum, conuellerunt, uiresque iam iam accisas, lente exhauserunt. Cuius quidem corporis languor, et uirum inopia apparuit proximo, qui mortem eius antecesserat anno, quo crebris destillationibus, capitis dolore, aestuque uago, saepius conflictata est, quae, sumtis paulatim incrementis, et attritis magis uiribus, Nostram demum lecto affixerunt: accedente praesertim destillatione noua, eaque periculi plenissima, quae linguae, et faucibus, penitus insedit, et exquisitissimis eam doloribus confecit. Ac tamen hoc morbo uel reprimendo, uel profligando omni ope, cura, consilioque, annisi sunt medici, usu artis suae, et praestantia amplissimi, tamen, rebus hic desperatis, morbum iam inueteratum omnibus remediis maiorem, et pertinacientem, esse intellexerunt, aucto praesertim malo febris ardore, eoque magis uires enertuante, et aduentante quoque aqua intercute, qua utrumque crus grauius intumuit, ac, elato alius tumore, imi partes uentris corruptae, et undis quasi submersae sunt. Aegrotata, cum, deficientibus penitus uiribus, pluribus, et propioribus submotiua signis, praeciperet cogitatione, quo in loco res essent, nihil commota, eadem animi magnitudine, et constantia, quae per totum morbi decursum plane admirabilis, et maxima fuit, mortem expectauit, et perpessa demum exquisitissimos dolores, ac solemini facri rursus formula consecrata, III. eidus octobris, praesentibus liberis, et nepibus, comprecantibus, ac hymnos concinentibus, sine ulla animi perturbatione, in salutaris Seruatoris merito, ab omnibus calamitatibus, et doloribus, quibus perfunctam fuit, morte, fomno similima, hora VIII. matutina, acquieuit, annos nata nouem, et quinquaginta, adiectis VI. mensibus, et II. diebus. Vix commonefaciens eritis uestri officii, CIVES, cum intellexeritis ipsi, quantum in VALTHERIA sexus elegantioris decus amiserimus, quantumque ornamentis, et utilitatis a Leyserianis, et Valtharianis in resp. sacram, et profanam, redundarit. Funus, ut hoc uobis constet, hodie ab H. I. ex aedibus, quas incoluit, procedet, et plena dignitatis pompa in aedem Marianam deductum, a uenerando Chrysofomo nostro, Caspale Loefchero, oratione funebri pro rostris excipietur, ac in illa demum, confectis funestis ritibus, terrae illatum, cum Diuo Marito sanctissimae quietis perfrugium habebit. P. P. Dominica XX. post Trinitatem, ∞ 13CCXI

Ung VI 3

W 18  
V 17







45

ex VII. 2  
266



RECTOR  
 AE VITEMBERGENSIS  
 STIANVS  
 ATER  
 MED. D. PATHOL  
 S PROVINCIALIS SAX  
 ANHALTIN ET ACADEM  
 CVRIOSOR COLLEGA  
 S ACADEMICIS  
 S P D